

Ioannis 2. n. 5. Et dixit ei Jesus: Quid mihi & tibi est mulier: nondum venit hora mea.

VERSIONES.

- Syriacus. Quid mihi, & tibi mulier: nondum, &c.
D. Epiphanius. Quid mihi, & tibi curae ref. 51. est mulier?
D. Iustinus Mar. Quid mihi, & tibi rei est tyr. 9. 136. mulier?
Vatablus. Quid mihi rei tecum est mulier?
D. Gregorius Nyssenus. Quid mihi tecum est mulier? An nondum venit hora mea?

EXPOSITIO.

AD Virginis verba Christus responderet: Quid mihi, & tibi est mulier? Christus Virgini ita severè alloquitur, eam veluti Matrem non agnoscens, non propter ipsam, cum Virginis actiones à Spiritu sancto dirigerentur, sed ut circumstantes, nosque omnes instrueret quòd in his, quæ Dei Patris, atque ministerij Evangelij sunt, non aliquis affectus humanus, sed Deus solus respiciendus sit. Quid ergo mihi & tibi in hoc opere, quod non carnis, & sanguinis impulsu, sed tantum sincero Dei obsequio est faciendum. Nondum venit hora mea, scilicet tempus præfinitum æterni Parentis decreto ad hoc edendum miraculum. Nondum venit hora mea. Verbum magno Sacramento plenum. Nam ut ait Toletus, verbum est potestatis divinæ, quia ut Dominus, & conditor temporum, eligere potuit quæ voluit; nemo autem hominum certam suam habet horam. Verbum est providentiæ, quia ab æterno prævidit, & disposuit, quæ fecit in carne. Verbum est sapientiæ, quia convenientia suis quæque finibus operum eligit tempora. Verbum est misericordiæ, quia post ulatum non denegat, sed subveniendi spem præstat. Verbum reverentiæ, quia Matrem honoravit; dum ejus preces ad opportunum tempus exaudiendas acceptat. Verbum instructionis, & obedientiæ, quia omnia ex divino consilio, & voluntate se facere, docuit.

QUESTIO XVI.

Quare Christus Dominus Virgini dixerit: Quid mihi & tibi? Rationem litteralem inquirò.

57. August. V Erba hæc, ut ait D. Aug. tract. in Joan, aliquod sacramentum occultum in se habent. Certi, inquit, Sacramenti gratia videtur, Matrem, de qua sponsus processit, non agnoscere, & dicere illi: Quid mihi, & tibi est mulier? nondum venit hora mea. Hoc Sacramentum in his verbis latens, est latius perscrutandum. Ad quod varias

sententias ex Catholicis referamus. De erroribus Hæreticorum quæstione sequenti.

Primò sunt, qui volunt, hæc verba à Christo dicta esse per modum cujusdam objurgationis, ac reprehensionis. D. Athanasius, contra Arian, quamvis nullam objurgationis causam apponat. D. August. lib. 5. de symbolo ad Catech. 6. D. Gregorius Nyssenus orat. ad verba Apostoli: Tunc erit & ipse subjectus. Titelman, Et dicunt, motivum esse quia Virgo sibi persuaserat, jure maternitatis id filio posse præcipere. Chrysostr. homil. 20. asserit, verba hæc, quandam adversus matrem indignationem continere, quia intempestivè pe-tebatur miraculum, vel quia aliquo vanæ gloriæ ducebatur affectu. Nulla ex his admittenda est sententia, habita venia à tantis Patribus. Nam in primis Virginis verba, non per modum impetrantis, sed deprecantis dicta fuerunt, ut asserunt idem August. tract. 8. in Joan. D. Gaud. tract. 2. D. Hilar. 3. de Trinitate, D. Cyrill. l. b. 2. in Joan. c. 23. D. Ambr. in Psal. 118. serm. 16. Virgo enim solum proposuit, & dixit, Finam non haberi, rogare autem ad Dominum, sanctum, & justum est. Et quomodo in ea, quæ se ancillam fatebatur; & in cujus mente nulla falsa existimatio, imperij elatio esse poterat? ut dixi tom. 1. lib. 2. c. 10. Nec fuit intempestiva oratio ejus, ut dicebat Chrysostr. illa enim tempus non determinavit, & Christus paulo post miraculum est operatus; & esto determinaret, oratio reprehensionis digna non erat; illa namque articulum ex divino decreto constitutum scire, non tenebatur. Tandem vanæ gloriæ affectus in ea minimè fuit, quia hoc erit peccatum saltem veniale, quod de fide est, in Virgine non dari Concil. Trid. sess. 6. can. 23. Et Virgo, ut patet ex toto Evangelio, valde humilis erat, oratioque Deo fuit valde grata; nam Christus rationem dedit, ob quam non statim faciebat, & postea fecit. Et ideo bene ait D. Thom. 3. p. 9. 27. art. 4. ad 3. Quod Chrysostr. excelsit in dicto; benigne tamen est explicandus, quod Dominus scilicet inordinatum inanis gloriæ motum cohibuerit, non quoad Virginem, sed quia ob alias matres à circumstantibus præsumi existimarique poterat.

Secundò explicant alij, Quid mihi, & tibi? Id est. Quid ad me, ac ad te, hæc vini penuria attinet? de hoc defectu providere, non ad invitatos, sed ad invitantes spectat; à nobis autem, quæ alieni muneris, non sunt facienda. Ita D. Epiphanius, hæref. 51. D. Iustinus Martyr. 9. 136. respons. Euthymius, Carthusian. Cajetan. Tolet. annot. 6. in fin. Hæc tamen locutio mihi & tibi, non conjunctionem, sed potius disjunctionem ex multiplici Scripturæ loco significat. Vidua dixit Eliæ 3. Reg. 17. n. 18. Quid mihi, & tibi vir Dei? ingressus es ad me, ut interficeres filium meum. David filius Sarviæ 2. Reg. 16. n. 10. 4. Reg. 6. n. 19. Quid tibi & paci? Dæmones Christo Domino dixerunt Marc. 5. n. 7. Quid mihi, & tibi Iesu fili Dei altissimi. In quibus locis, mihi, & tibi, significat, nihil rei mihi tecum est: vel, mihi, & tibi nihil est commune. Et locutio illa germanè vertitur: Quid mihi tecum est?

Tertiò aliqui docti viri apud Salmeironem lib. 6. tract. 6. (in qua sententia est etiam Joannes Bapt. Novatus de Emin. Virg. tom. 1. c. 17. §. Dico secundo) putant, hoc legendum esse per modum admirationis: Quid mihi & tibi mulier? id est quæ

58. Athanas. August. Nyssen. Titelman. Chrysostr. August. Gaudent. Hilar. Cyrill. Ambr.

Trident. D. Thom.

59. Epiph. Iust. Mart. Euthym. Carthuf. Cajetan. Tolet.

3. Reg. 17. 2. Reg. 16. 4. Reg. 9. Marc. 5.

60. Salmeiron. Novatus.

Vini habet oratio Virginis.

61. August. Greg. Magn. Richard. Emilian. Ant. Vlysi. Beda. Haymon Albert. Mag. D. Thom.

62. Carthag.

Virginis charitas profuit.

63. Evangelicus minister carnalem excludit affectum.

Luc. 2.

quæ vis, quodnam eximium charitatis vinculum est inter me, & te, ut quamvis non venerit hora mea edendi miraculum, ob tui preces citius faciam; & tu die ministris, &c. Tanta enim est orationis Virginis efficacia, ut ea, quæ petit; etiam ante tempus obtineat. Æterna Dei sapientia à principio decernere potuit, ob Virginis intercessionem citius miraculum edere, quàm si alias illa non intervenisset. Hæc tamen sententia ob Virginis dignitatem pulcher, non autem litteralis est: quia verba illa, mihi, & tibi, conjunctionem negant, animorumque, & corporum sonant disjunctionem, ut jam proximè dixi, & ipse Salmeiron notat.

Quartò D. Augustinus tractat. 8. in Joannem; Divus Gregorius Magnus lib. 8. epist. 42. Richardus lib. de laudibus Virginis, cap. 19. Eusebius Emilianus, & Divus Antonius Ulyssipon, in 2. Domin. post Epiphanius. hic Beda Haymon, Albertus Magnus, Sanctus Thomas, qui omnes docent, quòd, cum in Christo Domino duplex esset natura, humana, & divina; ex humana, quæ erat à Matre, infirmitatem; ex divina, quæ à Patre procedebat, edendi miracula potestatem habebat. Ait ergo Christus: Quid mihi, & tibi mulier? scilicet in hoc, quod petis, opere miraculoso nihil rei mihi tecum est, nihil mihi, & tibi commune, cum à te edendi miracula potestatem non habeam. Et idè dixit: Nondum venit hora mea. scilicet passionis, in qua ostendam infirmitatem, quam ex te habeo. In hac expositione illud mihi est difficile, quia prudentissima Virgo optimè sciebat, Christi potestatem ad patrandam miracula e. divinitate esse, quod verò privilegio Matris, confidenter peteret, nulla dura responsione poterat fugillari: nam etiam Sancti, ac Apostoli, ut Christi amici, multa laudabiliter petierunt. Imò ad hoc Christus nos invitat, Joan. 14. n. 13; Matth. 17. num. 19.

Quintò aliqui cum Joanne Carthagena tom. 2. lib. 1. homil. 4. ita rem explicant, Mariam hic esse aliquantulum reprehensam, non quòd in ea aliquid reprehensibile sit, sed ad hujus eximiam charitatem in suos devotos commendandam; quæ tanta est, ut pro eis intercedere non dubitet, esto se exponat, aliquam à filio repulsam pati: quod eximij amoris est idea. Hæc quamvis moraliter in laudem Virginis dicta sint, litteralem sensum effugiunt, quia non explicant mysticum, & verum sensum, ob quem Christus dixit: Quid mihi, & tibi? seu, Quid rei mihi tecum est? cum aliàs filius ejus charissimus sit.

Sextò genuinus sensus hujus rei est, quod Christus Dominus ore sereno, atque benigno ita aliquantulum severè locutus est, non propter Genitricem, in ea enim nihil habens reprehensionis umbram dari poterat; sed propter circumstantes, ut omnes instrueret, quòd in his, quæ sui muneris erant, ad Patrisque obsequium, & hominum salutem spectabant, nullo carnis, aut sanguinis affectu, sed puro tantum in Deum ducebatur respectu. Et ita quoties suspicari poterat, carnis amorem interrompere ea, quæ ad Patris negotia pertinebant, aliquantulum asperè respondit: Ut, cum esset in Doctorum disputationibus occupatus, dixit Matri Luc. 2. num. 49. Quid est, quòd me quærebatis nesciebatis, quia in his, quæ Patris mei sunt, oportet me esse. Similiter cum prædicationi Christus esset intentus, eique diceretur, Sylvæira in Evang. Tom. 11:

matrem, & fratres foris stare, veluti per repulsam dixit: Quæ est mater mea, & qui sum fratres mei? Matth. 12. num. 49. ut nos doceret, quòd dum Patris negotia obveniunt, nihil carni, & sanguini tribuendum, sed dicendum: Quid mihi, & tibi? nam omnes carnales affectus propter Deum contemnendi, ipseque solus est respiciendus.

Hanc esse intelligentiam textus docent Divus Bernardus sermone in Dominica 2. post Epiphanius. Manifestum video, ait, quòd non velut indignans aut confundere volens Virginis matris teneram verecundiam dixerit: Quid mihi, & tibi? Ut quid ergo fratres? Ut quid sic respondebat: Vique propter nos, ut conversos ad Deum, jam non felicitet cura carnalium parentum; & necessitudines illa non impediam exercitium, spirituales. Quandiu enim in mundo sumus, debiores consistat nos parentibus; ac postquam relinquimus nosmetipsos; multò magis ab eorum sollicitudine liberati sumus. Richardus de S. Victore lib. 3. de laudibus Virginis, cap. 19. Increpata, ait, Maria non est, quia omnia expertus culpa; quod filius manifestavit, faciens quod petiit. Sed propter nos, responso illa data est, instruendos; ne spiritualibus agentis parentum curam geramus; ne ad eos nimium afficiamur, sed solum Dei spectemus gloriam. Tandem Rupertus lib. 2. in Joan. latè hanc nostram sententiam explicans sic concludit, Fecit, ait, ipse prior, quòd nobis faciendum præcepit: non enim alia cuiquam præcepit, quam quæ ipse primus opere implevit. Pater autem ei, qui sese dignum esse cupit, ut propter Evangelium patrem; & matrem relinquat; & renunciet omnibus, quæ possidet. Hoc igitur primus ipse fecit. Christus exemplo suo firmat doctrinam suam, qua docuit; Dei negotia præferenda esse curæ carnis lux.

Matth. 15.

64. Bernard.

Richard. Sola dei gloria querenda.

Rupert. Quæd Christi docuit fecit.

QUESTIO XVII.

Quare Dominus tam severe Matri responderit? Expenduntur rationes morales.

Nucleatis aliquibus sententiis genuinum horum verborum sensum superiori quæstione dedi: nunc ad morales rationes accedo. Et responderet primò Divus Gregorius Nyssenus oratione in illud Apostoli. 1. Corinth. 15. num. 28. Tunc & ipse filius subjectus erit ei, qui subjectus sibi omnia. Ita ait sanctus Pater: Cur enim in humana per carnem veritas natura, in puerili ipse progressus ætate, ad Matris potestatem non amplius aspici? Illa enim ipsum hortante in Cana Galilææ, ut suam ostenderet potentiam in nuptiali epulo, & usum vini largiretur convivio, egentibus quidem recusavit gratificari. Maternum autem consilium, ut quod minimè in tempore adhiberetur, rejectit, dicens: Quid mihi, & tibi mulier? Vise, me ante ætatem præesse, ac imperare? Nondum mea venit hora, quæ præbet ætati, ut imperet, & sit sui juris. Nato semper perjuranda Matris oratio, cur autem hic ejus postulatio videretur ingrata? Nondum præstitutam adesse horam, inquit, quæ concedat ætati ut imperet, jureque dominationis utatur. Christus Dominus eum

56.

Nyssen. 1. Cor. 15.

B. 2. effect.



Matth. 11. *esse valde humilis, ita ut suis diceret: Discite a me, quia mitis sum, & humilis corde, Matth. 11. n. 19. primordia prædicationis, a quo Ecclesiæ, non in regnandi & imperandi ostentatione, sed in subjectione, & humilitate fundare intendebat; & ut per omnia esset similis fratribus, ait: Nondum venit hora mea, quæ præbet ætati, ut imperet; hoc enim ad majus tempus longiorémque ætatem remittitur, Profecta ætas apta ad imperium; humilitas verò fundamentum ad magna. Dominus in ultima cœna abditissima, mysteria suis referat parabat, atque in facta Eucharistia potentia suæ, & amoris declarare divitias, ac tandem regnum eis præparare, atque disponere. Ante hæc omnia ait sacer Evangelista: Surgit à cœna, ponit vestimenta sua, misit aquam in pelvum, & cœpit lavare pedes discipulorum, Joan. 13. num. 5. Sed cur ad tanta mysteria peragenda hujusmodi ablutio præcipitur? Ad quid divinus amor lavandis pedibus immoratur, & non statim advolat, ut divitias suas diffundat? Optimus Magister ab humilitatis fundamento exorditur opus, ut sui multis fructificet, & proficiant D. Bernardus tract. de gradibus humilit. 6. Interlocui, pulchre ait, Tradebat discipulis humilitatis formam veritatis magister, qua in primo gradu primus eis veritas innotesceret.*

66. Irenæus. *Secundò D. Irenæus jam supra datus, lib. 2. adversus hæreses c. 18. Præcognita, inquit, sunt hæc omnia à Patre; persequimur autem à Filio, sicut congruum, & consequens est apto tempore: propter hoc, properante Maria ad admirabile vini signum, & ante tempus volente participare compendii poculum, Dominus repellens ejus intempestivam festinationem dixit: Quid mihi, & tibi est mulier: Nondum venit hora mea, expectans eam horam, quæ est à Patre præcognita. Quo motivo natus subiraundus visus est loqui cum Matre? Responderet ipse, Nondum venit hora mea. Nonne potest ipse quolibet momento operari mira, ac stupenda in cælo pariter, atque in terris? Expectans tamen eam horam, quæ à Patre est præcognita. Nondum erat tempus à Patre præscriptum, & ideo videtur Genitricem omnis culpæ immunem increpare, ut nobis insinaret, quòd statuta temporum intervalla non sunt præoccupanda, nec celerato appetitu anticipanda, sed præstituta unicujusque operis hora observanda, ut omnia suis definitis spatiis metiantur, opportunoque tempore fiant. Vide lib. 1. cap. 6. n. 18. & lib. 2. cap. 4. num. 52. & 96.*

67. *Tertio. Per horam suam subintelligit Dominus passionis suæ tempus, quod hora Christi appellatur, ut jam dixi superiori quæstione, & idem valet, ac si diceret Christus: Postulas à me, o mulier, vinum pro convivis, tuis coactus precibus elargiar. Sed nondum venit hora mea, hora meæ passionis, qua sacratissimum sanguinis mei poculum, ac vinum germinans virgines meis exponam, elargiarque convivis; & cum hujusmodi divinis potus dulcedo inter omnia opera sit valde perjudicanda, ideo institutionis suæ tempus inter omnia alia dierum intervalla peculiariter hora mea est: ac proinde tanquam pretiosissimum mei monumentum in ultimis tempore referro, in quo usus est amicorum, ut inter suos nobilissima munera disperiantur. De hoc tamen multa dicam alibi.*

68. *Quarto. D. Augustinus, tractat. 8. in Joan. sic fa-*

*etur: Sed ne putes, quod te negem Matrem, nondum venit hora mea: tibi enim te agnoscam, cum pensare coeperit infirmitas. Verba Augustini ita moraliter expendere liceat, Mater meri penoriam filio suggererat, & miraculum fieri exoptans dicebat ei, Vinum non habent. Subduriusculis verbis videtur filius respondere: Quid mihi, & tibi mulier? Nondum venit hora mea. Nonne præclara Virginis merita expostulant, ut benignè excipiar pro quolibet instanti deprecatione ejus? Quomodo amantissimus filius ita severus se exhibet? Cur reverentia, honorque Matri dilectissimæ debitus in publico convivio non habetur? Quòd advenit hæc hora? Passionis tempore, quando premente angustia, circumstantibus doloribus Christus in Croce pendens, curam Matris agens, ipsam discipulo custodiendam commendavit. Præclarum amoris indicium, non inter affluentes delicias, sed in er urgentes pressuras prodit. Aderat Christus Dominus in Cœna cum hilaritatis speciem præbeantibus festivi que convivis; non tunc blandiente aita divinus in Matrem ostentatur amor, ut sit inter hujus sæculi homines, qui annuente fortuna amicis obsequuntur. Quando autem insurgit tempestas, blasphemant Judæi, fugiunt discipuli, Mater est in orbitate, tunc eximia, & rara charitas eximio declaratur affectu. Nam divinus amor etiam inter epulas, & edulia aliquantulum asperè responderit; inter Crucem tamen & dolores nimis sollicitus & affectuosus Matrem lolatur, suumque erga eam ostendit affectum. Dum esset Rex in accubitu suo, naribus mea aedit odorem suavitatis. Et statim addit sponsa: Fasciculus myrrhæ dilectus meus inter ubera mea commorabitur, Cantic. 1. num. 12. Visitor Dominus in regali acubitu suo, ac throno majestatis, & dilecti nomine non appellatur, sed Regis titulus, timoris, & reverentiæ plenus profertur: Dum esset Rex in accubitu suo, naribus mea aedit odorem suavitatis. Et statim addit sponsa: Fasciculus myrrhæ dilectus meus inter ubera mea commorabitur, Cantic. 1. num. 12. Visitor Dominus in regali acubitu suo, ac throno majestatis, & dilecti nomine non appellatur, sed Regis titulus, timoris, & reverentiæ plenus profertur: Dum esset Rex in accubitu suo, naribus mea aedit odorem suavitatis. O nobile amoris trophæum! Ridente fortuna, nitente purpura amor absconditur. At sub patendi temporibus, dum fugiunt discipuli, vacillat Petrus, intremunt Judæi, panditur Virginis amor, interque teneriorum cordis sinum amplectitur, ac fovet dilectum, Eleganter huc veniat Divus Bernardus sermone 43. in Cantica: Fasciculus myrrhæ, ante Rex, modò dilectus: ante in accubitu, modò inter sponsa ubera: cito reverentia nomen in vocabulum amoris mutatum est, & qui longè erat, in brevi factus est propè, fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi: myrrhæ amara res, dura, & aspera tribulationem significat: ea sibi dilecti causa imminere prospiciens, gravilabunda id loquitur, conficiens se omnia viriliter subituram; propterea, non solum, sed fasciculum dilectum dicit, quod leve pro ipsius amore ducat, quicquid laboris imminet, & doloris.*

Quintò Divus Cyrillus lib. 2. cap. 23. *Non à se, neque non rogatus ad actionem miraculorum Dominus solet pervenire, quamvis graviora sum, qua petuntur, si aliquantulum differantur. Similiter Hugo. Hugo. Ista repulso, inquit, significat, quod Deus*

Imperium proveciam requiritur aetatem.

Humilitas fundamentum ad magna.

Bernardus.

Irenæus.

Omnia fiant convenienti tempore.

Eucharistia peculiariter opus Christi.

Amici referant majora opera in ultimum tempus.

Augustus.

Verus amor non in felicitate sed in pressura declaratur.

Cantic. 1.

Bernardus.

Cyillus.

aliquando non exaudit, nec dat statim quod petitur, ut avidius petatur, & cum exaudierit, & petitum dederit diligentius custodiatur. Deus aliquando postulata differt, ut appetitum ad majorem donorum, æstimationem acuat, & ut cum majori gaudii, ac delectationis perfusione obtineatur; Doloris cuspidè sauciata sponsa aut de sponso suo: Quæsvi, & non inveni illum: vocavi, & non respondit mihi, Cantic. 5. num. 6. seu, ut habent Septuaginta: Vocavi eum, & non audivit me. Paraphrasis Chaldaica: Non suscepit orationem meam. Sed Deus, qui est in audiendis soorum precibus velocissimus, ita ut dicat Regius Vates Psalm. 33. num. 16. Auris ejus in preces eorum: dilectissimæ animæ orationem renuit, nec suscipit? Deus optime exaudiebat, amatorio tamen negotio se audire dissimulabat, ut bona desiderata in majori pretio essent, dumque concederentur, eximiam perfunderent voluptatem. Divus Augustinus sermone 5. de verbis Domini: Cum aliquando, inquit, tardius dat, commendat sua dona, non negat, diu desiderata dulcius obtinentur. Instanter clamat Chananaea pro filia sanitate; qui primò Dominus non solum non respondit, sed etiam asperè tanquam canem à se rejicit: Non est bonum sumere panem filiorum, & mittere canibus, Matth. 15. num. 26. Ni fallor, tam acerbam repulsam non lego in Evangelio, quæ eam inducere poterat in desperationem obtinendi beneficium, ut notat Euthymius. Cur Domine ita dimittis mulierem, in qua omnes virtutes maximè nitent, Perseverantia, Prudentia, Humilitas; nam se passa est, cum catulis comparari; ac tandem fides; ita ut de illa dicas: O mulier, magna est fides tua. Ob præclara merita ejus dominus dissimulat, eam tam severè à se repellere, ut ita virtutes ejus in toto orbe maxime elucescerent, donumque exoptatum magno cum gaudio impetraret. Divus Chrysostomus homil. 53. in Matthæum: Ideo, ait, cerè eam repellebat Dominus, ut ad hanc vocem consequentia rerum conveniret; ut fulgente corona mulierem coronaret. Hugo Primò mihi respondit Dominus: postea respondit: quasi negando, quod petebat, dilacione sic excitans desiderium.

Deus sapè differt postulatam, ut cum majori gaudio datur suscipiatur.

Cantic. 5.

Septuag.

Cald.

Psal. 33.

Augustus.

Matth. 15.

Euthym.

Chrysost.

Hugo.

QUÆSTIO XVIII.

Quare Christus Dominus Virginem appellat mulierem?

70. Rejicitur duplex error. Origen. August.

Metaphrast.

Duplex in hac materia rejiciendus est error. Primus Manichæorum & Valentinianorum qui, ut testantur Origenes in Catena Græca, & Divus Augustinus tractat. 8. in Joannem; ausi sunt affirmare, Virginem Christi matrem non esse, quia hîc non matrem; sed mulierem appellavit. Sed miseri ita sunt obcæcati, ut solum videant nomen mulieris, ubi errant; & non percipiant, ter in hoc textu matrem dici. Erat ibi mater Jesu, & iterum: Dicit mater Jesu: & iterum: Dicit mater ejus. Imo, ut bene notat Metaphrastes in oratione de vita, & dormitione Mariæ; quod in Evangelio bis dicitur mulier, & octo post partum vocatur mater Jesu. Secundò Sylvester in Evang. Tom. 1 l.

error est eorum, qui, ut tradant Origenes homil. 8. in Levitic. Divus Hieronymus in Epist. Origen. ad Galat. 4. impudico ore virginitatem Mariæ negarunt, asserentes, nomen mulieris solum dici de corruptis. Sed, ut optime observant citati Patres cum Augustino lib. de fide contra Manichæos, cap. 23. dicitur mulier tam de corruptis, quam de virginibus; nam Eva antequam cognosceretur ab Adamo, dicitur mulier, Genes. 2. num. 2. Et famulus Abraham missus, ut quæreret sponsam virginem filio domini sui Isaac, Genes. 24. dixit: Si mulier noluerit venire mecum, Genes. 24. num. 5.

Veniamus ad quæstionem: Quare Christus Dominus Virginem mulierem appellat? Imò quando eam nominavit hîc, & 19. Joan. semper mulierem dicit? Respondet primo Divus Augustinus tractat. 8. in Joannem: Dicitur autem mulier secundum sœmoneum sœmone. Similiter Divus Gaudentius tractat. 2. Quod magis explicans Divus Epiphanius hæres. 79. Revera, ait, Epiphanius sanctum erat corpus Mariæ, non tamen Deus; revera Virgo erat, & honorata, non tamen ad adorationem nobis data. Propriè Evangelium nuntiat nos, dicens, quòd Dominus dixerit: Quid mihi, & tibi cura est mulier? quo non putarent aliqui magis eximiam esse sanctam Virginem, mulierem eam appellavit, velut prophetans, quæ futura esset in terra; ut ne aliqui nimium admirati sanctam, in hanc hæresim ejus deliramenta lavantur. Ecclesiæ suæ Dominus prævidit; nam futura erat hæresis, quæ ob eximiam Virginis sanctitatem, eam esse Deum astrueret, hanc refutans Christus, proprio ore mulierem dicit.

Secundò Cajetanus ait: Matrem mulierem appellavit, ad significandam rationem, qua scilicet non imputandus esset illi vini defectus, non enim est muliebri officium providere de vino. Tertio Euthymius ait: Ut se Deum ostenderet, Virginem; non matrem, sed mulierem dicit. Quarto aliqui graves Recentiores dicunt, quod maxime in sui honorem Virgo dicitur mulier; nam sicut Christus Dominus inter viros primatum tenet, ac vit simpliciter dicitur; ita B. Virgo, cum inter mulieres primatum obtineat, merito per antonomasiam mulier nuncupatur. Quinto Carthusianus: Mulier, inquit, non solum dicitur secundum idioma Hebræorum. Et fortasse communi loquendi modo matres mulieres vocabantur. Isai. 49. num. 15. Nunquid oblivisci potest mulier infantem suum, Jerem. 7. num. 18. Mulieres conspergunt adipem; scilicet matres. Et ita ait Toletus annotat. 7. Christus communi loquendi modo se voluit accommodare, & matrem mulierem dicere. Sexto Albertus Magnus: Humilissimus custos, ait, noluit detegere virginitatem maris, ne per hoc gloriosus in conspectu hominum appareret, antequam per miracula manifestaretur. Sed mulierem vocat, quoniam misericordia emollita; mollia sensu de nuptias celebrantibus. Non matrem Virginem dicit, ne suam eximiam celsitudinem declaret, sed ob ejus ad præsentem defectum supplendum tenera viscera mulierem appellat.

Septimo Christus Dominus ut dixi superiori quæst. ob circumstantes omnem hîc carnis propensionem voluit dissimulare, docens nos, quod in muneri nostri operibus, Evangelicisq; ministeriis

71. Augustus. Gaudentius. Epiphanius. Præmonit. Dei sapientia ne Virgo adoretur ut Deus. 72. Cajetanus. Euthymius. Virgo per antonomasiam mulier. Carthusianus. Isai. 45. Jerem. 7. Toletus. Communis usus accommodandus. Alb. Magus. Virginitatis officia valde tenera. 73.